Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26897
Copyright: Admont, Benediktinerstift

44

A. Inmortalis est igitur anima. R. Iam iam credo racionibus tuis. R. Crede
ueritati. clamat et in te sese habitare et inmortalem esse. nec
suam sibi sedem quacumque corporis morte posse abduci. Auerte
ab umbra tua. reuertere in te. nullus est interitus tuus nisi ob Nota.
litum te esse quod interire non possis. A. Audio. resipisco. recolere
me incipio. Sed queso illa que restant expedias. quomodo in
animo imperito. non enim eum inmortalem dicere possumus discipli
na et ueritas esse intelligatur. R. Aliud ista questio uolumen de
siderat. si eam uis tractari diligenter. simul et illa que ut potui
mus inuestigata sunt recensenda tibi esse uideo. quia si nichil
eorum que concessa sunt dubium est. multum nos egisse arbitror. nec
cum parua securitate cetera querere. A. Ita plane est ut dicis.
et obtempero tuis preceptis libens. Sed illud saltem impetrem
antequam terminum uolumini statuas ut quid inter sit inter ueram
figuram que in intelligentia continetur et eam quam sibi fingit co
gitatio que grece siue phantasia siue phantasma dicitur
breuiter exponas. R. Hoc queris quod uidere nisi mundissimus non potest.
et ad cuius rei uisionem parum es exercitatus. neque nunc per istos cir
cuitus aliud quam exercitationem tuam. ut illud uidere sis ido
neus operamur. tamen inter esse plurimum quam possit doceri fortasse
breuiter planum facio. Fac enim te aliquid esse oblitum. aliosque te
uelle quasi in memoriam reuocare. Dicunt igitur illi. Numquid nam hoc
est. aut illud? diuersa uelut similia proferentes. Tu uero nec illud
uides quod recordari cupis. et tamen uides non hoc esse quod dicitur. Numquid
nam cum hoc tibi euenit omnino uidetur obliuio? Nam ipsa discre
tio qua non admittitur quod falso admoneris. pars quedam recor
dationis est. A. Ita uidetur. R. Tales igitur non dum uerum uident. falli
tamen decipique non possunt. et quid querant satis norunt. At si tibi
quispiam dicat te post paucos dies risisse quam natus es. non audes
dicere falsum esse. et si auctor sit cui fides habenda est. non recor
daturus sed crediturus es. Totum enim tempus illud ualidis

Nota differentiam inter [illegible] figuras [illegible] mathematicas [illegible] sunt ymaginationes [illegible] sola ratione [illegible]